



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Inivste, Deo
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1650

Capvt XV. An, & quibus , & quo pœnitentiæ fructu, Deus hominum quorumdam peccata, absq[ue] eorum infamia manifestet, ad clementiam suam manifestandam?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48689)

Matth. 23.
33.

stia, non desinis subvertere vias Domini rectas?
Multi eiusmodi sunt, qui *ex patre diabolo* vias Domini rectas subvertunt, pleni dolo, pleni fallacia, digni ignominia. Quamquam Deus non omnes dignos ignominia, in ignominiam manifestat peccatores. Quem in finem aliquot exempla apponam, à me preconione recensita, & sitienter excepta.

CAPVT XV.

An, & quibus, & quo pœnitentia fructu, Deus hominum quorundam peccata, absque eorum infamia, manifestet, ad clementiam suam manifestandam?

S. I.

Futura contingentia, & secreta cordium soli Deo nota esse.

Nillum esse hominem arbitror, qui non auidè cuperet scire, quàm diu tandem Germaniam, ac totam p̄ne Europam bellis sit afficturus Deus? quando pacè, pro qua oramus, redditurus? quid circa hunc, aut illum Principem, circa hanc & illam Remp. circa se ipsum sit futurum? Sed hæc omnia pendent à Deo, qui
solus

solus est scrutator cordium, & cognitor futurorum. *Quis consiliarius eius fuit? Num- Rom. 11-
quid cognoscentur in te nebris mirabilia tua, & 34.
iustitia tua, in terra obliuionis?* ait Psalmista. Psal. 87.
13.
Ecclesiastes autem: *Et intellexi, quòd om- Eccl. 8.
nium operum Dei nullam possit homo inuenire 17.
rationem eorum, qua fiunt sub sole: & quantò
plus laborauerit ad quarendum, tantò minùs
inueniat: etiamsi dixerit sapiens se nosse, non po-
terit reperire.* Hinc falluntur & fallunt to-
ties Astrologi & fastorum conditores, qui
iam per aliquot annos, vanissimis vaticina-
tionibus pacem, mortes Principum, &
nescio quæ prædixerunt. *Euauerunt in co- Rom. 1. 21
gitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor
eorum; dicentes enim se esse sapientes, stulti fa-
cti sunt; & dum diuini sibi aliquid arrogant
isti diuinatores, ad artes diabolicas dela-
buntur. Quàm magnificata sunt opera tua, Psal. 91.
Domine, ait Rex, Nimis profunda facta sunt 6.
cogitationes tua. Vir insipiens non cognoscat, &
stultus non intelliget hac.* De aliorum autem
arcanis, de quæ conscientis iudicare & pro-
nuntiare vsq; adeò temerarium est, vt nemo
etiam de se ipso sit certus. *Nihil mihi conscius 1. Cor. 4.
sum, sed non in hoc iustificatus sum, ait Apo- 4.
stolus. Et Ecclesiastes: Sunt iusti atque sapi- Eccl. 9. 6.
entes.*

entes, & opera eorum in manu Dei: & tamen nescit homo, utrum amore an odio dignus sit: sed omnia in futurum seruantur incerta, eò quòd vniuersa aequè eueniant iusto & impio, bono & malo, mundo & immundo, immolanti victimas, & sacrificia contemnenti. Sicut bonus, sic & peccator: ut periurus, ita & ille qui verum deierat.

§. II.

Deum Sanctis suis multa occulta reuelare.

Ita sanè est, nemo scire potest, quid alter cogitet, aut in pectore clausum gerat. Quanto autem minùs quis scire potest ea, quæ sibi Deus reseruauit, aut in consilio suo statuit? Nihilominus sicut Princeps nonnumquam fido sibi homini secreta animi sui pandit, ita & Deus subinde amicis suis futura occultaque reuelauit. Quàm multis Gen. 6. 13. antè annis Noë diluuium prædixit? Quàm Gen. 18. clarè Abrahamo patefecit interitum Sodomitarum? Num celare potero Abraham, quæ gesturus sum? ait. Quàm disertè Elisæus dixit ad Giezi: Vnde venis Giezi? Nonne cor meum in presenti erat, quando reuersus est homo de curru suo in occursum tui? Quàm seuerè Petrus sacrilegum manifestauit illis verbis: Act. 5. 3. Anania cur tentauit satanas cor tuum mentiri te Spiritui sancto, & fraudare de pretio agri?

Pro-

Prophetis & Patriarchis in veteri testamen-
to, Apostolis & Sanctis in nouo testamen-
to, quot futura Deus, quàm occultas res non
aperuit? Nimirum sciebat eos non curio-
sitate gauisuros, aut triumphaturos vani-
tate, sed scientia illa reuerenter, atque ad
hominum vtilitatem vsuros. *Confiteor tibi, Matth. 11.*
Pater, Domine cali & terra, quia abscondisti 25.
haec à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea
paruulis, ait Seruator. Talem paruulum,
cui Deus multa reuelauit, non superbè ca
iactanti, sed ostendenti, *cum simplicibus esse* Prou. 3.
sermocinationem eius, adducam, vt ab eo dis- 32.
gamus, quo pacto bellum sit finiendum, &
pax impetranda, orando potiùs, quàm di-
micando: maior enim spes est in votis, quàm
in armis.

§. III.

Alijs oculis homines à Deo, alijs ab hominibus
aspici.

Tempore Constantini Imperatoris habuit
S. Antonius Magnus discipulum, in Thebai-
de, *Paulum* nomine, qui ob animi sinceri-
tatem & candidos mores, *Paulus Simplex*
fuit appellatus. De quo Græci in Menolo-
gio, & Cardinalis Cæsar Baronius, in Mar-
tyrologio die 7. Martij, Abbas autem An-
hufanus

Abbas
Anhufanus

part. 2. hufanus die 20. Iulij, meminerunt, & in vi-
 Stemma- tis Patrum p. 1. plura referuntur. Hic *Pauli*
 tis Christi *Simplex*, post diuturnam vitam asceti-
 die 20. *lus Simplex*, post diuturnam vitam asceti-
 Iulij ex cam, post ieiunia grauiffima, post affiduas
 lib. doct. orationes, vigilias, corporis asperitates,
 PP. n. 15. sub S. Antonio Magno, ita profecit, vt *An-*
gelis & hominibus spectaculum, & velut conti-
 num quoddam miraculum effer. Est in Hi-
 spania quoddam genus hominum, quod
 Martin. *Zahuris* vocant, *Lyncéos* rectè diceret. Nam
 Delrio. ex hac gente fuit An. 1575. Madriti puer,
 Còment. qui totius familiæ ritu in penitis terræ vis-
 in Mede- ceribus abdita, venas aquarum, metallorū
 am. v. 237. & lib. 1. thesauros, sub sarcophagis sita cadeuera
 Disq. cap. potuit videre; immò & quid quisque come-
 3. q. 4. dissest, clarè in stomacho viuentium aspicie-
 bat. Sed isti vel coniecturis id, vel dæmonis
 arte assequabantur. *Paulo Simplici* Deus eam
 gratiam diuinitus dedit, vt cuiusque obui-
 cor, & conscientiam, æquè ac vultum
 dignosceret. Indistà erat aliquando vel fe-
 sti, vel alterius necessitatis caussa, publica
 oratio, ad quam cùm magna vndique mul-
 titudo Christianorum conflueret, sedit ille
 ad limen templi, vt videret, quo quisq; ani-
 mo, aut qua conscientia præditus templum
 adiret? Hic rem audite mirandam. Plerof-
 que

que videbat vultu radiante, iubarq; maius aut minus, prout cuiusque precandi ardor maior, minorue erat, stellæ instar, diffundente. Quin & Angelum custodem vniuscuiusque hilari ac iucunda facie comitantem cernebat. Inter mediam autem turmã, vnum conspiciebat, vulgò dignum fortasse, in quem, ob vestium splendorem, ac officij, generisque dignitatem, ceteri omnes oculũ conijcerent, digitoque, velut Hesperum, ostenderent. Sed ò quàm alij sunt oculi diuini ab humanis? Vestis potest homines fallere, *Deus* autem *cor intuetur*, & talem vnumquemq; videt, qualis est, non qualis apparet. Quo pacto & *Paulus Simplex* hunc conspexit in templum ingredientem, Deo illi virtutem largiente interiora eius intuenti. Itaque alij aspiciebant illum candida fronte, roseis genis, dependulis capillis acris crispatis, compta barba, cristato pileo, pallio purpurato, veste fimbriata, ocreis candidis, chirotheculis odoratis, & sine dubio, magno famulorum comitatu pompum, cui ceteri de via cedebant, pileum deponebant, genu flectebant, & quem non pauci felicem beatumq; prædicabant. Talis erat ille in oculis vulgi. At qualis in conspectu

ctu

ctu Dei esset, videbat *Paulus Simplex*. Non enim perinde huius illi facies exsplendescere, vt ceterorum, videbatur, sed vultu totus ater ceterisque omnibus membris niger & squallidus Maurum referebat. Circa illum fremebant ouantes cacodæmonum catervæ, catenis vinctum tenentes, quorum vnus ceteris immanior, illum capistro per nares traiecto frænabat, atque in templum mori iumentum, agebat. Ceterum Angelus custos illius, non eum, vt reliquos, læto vultu, pænè comitabatur, sed longo interuallo, decussatis in crucis formam brachijs, oculisque in cælum tendentibus gemebundo similis sequebatur.

§. IV.

Deum interna hominis videntem, maximè commendandum esse.

O fallax munde, quoties ipse falleris! quàm longè alia iudicia sunt Numinis, & alia hominis! Isti quos populus metuit, quos palpat, quos pænè adorat, quantis sæpe vinculis constrikti circumducuntur? Quàm grauitè decipiunt aspicientes? immò quàm se ipsos crudeliter decipiunt? Eant; anfati, gladiati, purpurati incedant, & hominibus gloriosi videantur; longè tamen
alij

alij sunt in conspectu Angeli sui, in oculis Sanctorum, ante DEI tribunal. Nempe tales, qualem Ioannes vidit, qui vidit *mulierem* Act. 17. 3a *sedentem super bestiam coccineam, plenam nominibus blasphemia, habentem capita septem, & cornua decem, dum septem peccatis capitalibus se contra Deum erigit, & decem illius præcepta arietat. Talis anima est mulier quæ erat circumdata purpura & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioso, & margaritis, habens poculum aureum in manu sua plenum abominatione, & immunditia fornicationis eius. Talem Deus Ioanni, talem Paulo Simplici, tales quotidie Angelis ostendit peccatores. Ab alijs quidem scelera illorum possunt nesciri, à Deo occultari non possunt, qui est ubique, in quo ipsi vivunt, mouentur, & sunt. Homines in facie, Deus videt in corde. Nihil eum latet, nulla creatura est in oculis eius inuisibilis. Omnia nuda & aperta sunt oculis eius. Non videt te pater tuus, non videt magister, non superior, non magistratus tuus, qui si te videret, non peccares: at videt te Creator, videt Redemptor, videt te Angelus, videt te tota curia cælestis, vident illi qui te, coram toto mundo, iudicabunt, & peccare audes? & non erubescis?*

cis?

cis? Quin vel corā Confessario, vno, homine, peccatore, qui nihil audet vulgare, erubescis confiteri foeditates tuas; at facere foeda, vidente Angelo custode & ingemiscente; mancipare te diabolo, mille catenas iniicienti, tibi nullus est pudor? Quia homines nesciunt, putas nescire & Deum? qui videt tuas cogitationes, non videbit tuas operationes? qui scit quid velis, nesciet, quid facias? Quò ibis, miser, vt eum lateas? In Italiam, in Galliam, trans Alpes ibis, nescient tui parentes, quid facias; at sciet Deus, etiam si ad extremos vsque Indos proficiscaris. Nulla te larua teget, nulla nox abscondet, nullus occultabit angulus. Quære cum Adamo latebras, non te abscondes Deo, sed Deum tibi; & culpam duplicabis, more peccatorum, qui saepe plagas euitarent, si culpam faterentur, ac veritatem dicerent; quia verò delicta sua mendacijs volunt purgare, & propter delicta, & propter mendacia puniuntur. Fuit, qui vxorem suam repudiaret eam solam ob causam, quia foras proditura se comebat, & mutuò acceptis vestibus volebat alijs placere, domi autem in scissili tunica aut pellibus fuligine vinctis, inconcinnis crinibus, Canidiæ instar, incedebat.

Tales

Tales sunt multi mortales domi, & in conscientia sua, & coram Deo ac Diuis, sordidi, maculari, contaminati, qui mundo se expoliunt. O si nunc adesset *Paulus Simplex*, & homines obseruaret ad templum confluentes? quantum videret eorum discrimen? Quod ille vidit, nos possumus, non debemus imaginari.

§. V.

Non sine causa paucis à Deo reuelari internum aliorum hominum statum.

Cur enim Diuina bonitas non omnibus, sed tantum sanctis, & quidem paucis, ita oculos aperuit, sicut aperuit *Paulo simplici*? Quia plurimi despicerent eiusmodi peccatores, eosq; execrarentur, & si possent, discernerent. At Sancti non vindictę, sed misericordię oculis aspiciunt eiusmodi vulneratos. Agnoscunt enim, in quantis miseris sint constituti. Siquidem *¶ Paulus simplex*, postquam calamitosum illum hominem, velut in triumpho, à Tartareis Spiritibus, vidit ductum, cœpit cum eiulatu lamentabili torus in lachrymas effundi, & identidem pectus palmis plangere. Et quia de sanctitate certa notus erat omnibus, circumstetit eum mortalium multiudo, tanti

V

luctus

luctus tantæq; lamentationis causam scire cupientium. Metuebant enim, ne vir sanctus, Deo reuelante, aliquid vidisset, quod in omnibus ad templum euntibus, reprehensione dignum esset, orationesq; eorum ingratas efficeret; idq; eò magis, quòd ab eo multis precibus impetrare non possent, ut cum ceteris etiam ipse oraturus in Ecclesiâ intraret. Quali cogitatione vtinam etiam vnusquisque nostrum se examinaret, quoties ad diuina officia est accessurus. Dolemus durare bella, sentimus difficultates, timeamus pericula, instituimus orationes, & non cogitamus quales ipsi simus, qui sumus oraturi. Eodem ore petimus à Deo nobis pacem dari, & bellum eidem indicimus. Quo pacto enim illa lingua in templo Dei flectet, quæ illum paulo prius, ante templum blasphemauit? Ita homines illi non sine causa solliciti fuerunt, ne inidonei ad orationem accederent. Inimicus ab inimico nihil potest fidenter, nisi veniam rogare.

§. VI.

Mira peccatoris poenitentis mutatio.

Iussi igitur illi in templum ingressi sunt ad Missam audiendam, S. Paulo simplici praeforibus templi relicto, ac indefinenter plorante,

rante, ob miseri illius viri lachrymabilem
statum, & tot catenas, quibus erat illigatus.
Officijs diuinis, intra breue tempus, finitis,
populoq; è templo regrediente, *Paulus* de-
novo singulos obseruauit, præcipuè verò at-
tendit ad illum, quem priùs viderat freno
vinculisq; constrictum in ædem sacram in-
troducti. Sed hîc nouum se se illius oculis
spectaculum obtulit. Vix enim potuit illum
virum ampliùs agnoscere, quasi repentè
alium factum. Sed diuina rursus lux illi,
qualis iam esset, detexit. Non enim iam
Æthiops videbatur, neque nigra in toto il-
lius corpore macula apparebat, sed in con-
trarium, omnia erant candida & mirificè
lucebant. Neque iam cacodæmonum ca-
terua stipabat, aut vinculis ligatum tene-
bat, neque nares perforatus ducebatur; sed
maligni spiritus, cum multis diruptarum ca-
tenarum fragmentis tristes, & caput vncis
vnguibus scalpentes, multis demum passi-
bus ab illo repulsi sequebantur. Ad latus
autem illius iam bonus Angelus lætitijs &
exultatione plenus adambulabat, & subla-
tis subinde in cælum manibus Deo gratias
dicere videbatur. Quàm verè tunc cani po-
tuit: *Hac mutatio dextera Excelsi!* item: *Si Ps, 76. 18.*

V 2 fuerint

Isa. i. 18. fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra, quasi vermiculus, velut lana alba erunt. Deniq; apparuit gaudium Angelorum, quod habent etiam super uno peccatore poenitentiam agente.

& 10.

§. VII.

Pauli Simplicis visio detecta.

Paulus simplex certè, aspecta hae viri tam subita, tamq; magna mutatione, præ gaudio exilijt, & tamquam sui oblitus, altissima lætitiæ voce exclamare, & Deum laudare cœpit dicens: *O ineffabilem Dei bonitatem & misericordiam! ô immensas Dei omnipotentis miserationes!* Stitit isthæc inusitata vociferatio totam exeuntium multitudinem, quæ & Paulum sæpiùs eadem clamantem, atq; in templum currentem è vestigio est secuta, viro quoque illo, quid circa se factum esset nesciente, cum turba in templum regresso. Confertum erat iam templum, cum Paulus, supremo altaris gradu conscenso, in hunc modum, voce contentissima, cœ-

Psal. 45. 9. pit procœmiari. *Venite, & videte opera Domini, quàm mirabilia & terribilia sint; Venite, & videte illum, qui vult omnes homines saluari fieri, & venire ad agnitionem veritatis. Venite, adoremus, & procidamus ante Deum, & dicamus,*

dicamus,

dicamus, quoniam potens est peccata remittere.
Ad hoc exordium facta est ingens attentio,
& compressio populi, dum voluit quisque
proximus esse dicenti. Quiete silentioque
dato, ordine recensuit, quid ingredientibus
& egredientibus illis in domum sacram, sibi
Deus reuelârit. His narratis, digito virum
designauit, cuius tam admirandam muta-
tionem vidisset, obtestatusque illum est vt,
ad Dei gloriam, & totius populi vtilitatem,
causam tantæ mutationis manifestaret.

§. VIII.

*Peccatoris malè in templum intrantis, & bene
exeuntis conuersio.*

Hic ille partim oratione Pauli, partim
interno Spiritus impulsu incensus & com-
motus, attonitis omnibus, hæc palam recen-
suit: *Peccator ego sum, heu miserimus ego Psal. 37. 6:*
sum peccator! Nec peccator tantum, sed diu,
pro dolor, in peccatis basi. Putruerunt & cor-
rupta sunt cicatrices mea, a facie insipientia
mea. In luxuria vixi, de impuris rebus audi-
re, musica fuit mea; de spurcitijs loqui hymni
mei; seduci & seducere, mihi perinde fuit; &
quid multis aures vestras contaminabo? quasi
equus ad omnes feminas adhirniebam, neque se-
cus ad templum ipsum festinaui, ac si frano du-

Etus ab insidente calcaribus urgerer. Neg³ mens
 mea fuit, in templo orare, more ceterorum:
 sed illuc properavi, non secus ac ad locum cho-
 rearum, ut puellarum & reliquarum femina-
 rum formas & vultus contemplerer. Hinc non,
 qua mihi debebantur, prima subsellia, sed me-
 dia, vel odea, vel etiam postrema occupavi, un-
 de scilicet prospectum, ad muliebrem sexum è re-
 gione stantem, habiturum me commodiorem
 arbitrabar. Et talis quidem fui etiam hodie,
 quando hoc templum subivi. Sed, ô Dei infinita
 bonitatem! talis è templo non exiui. Qui
 enim fulmine, & morte, & igne aeterno dignus
 eram, ecce audiui cantari verba Isaiae Propheta,
 immò ipsius Dei: Lauamini, mundi estote, au-
 ferte malum cogitationum vestrarum ab oculis
 meis: quiescite agere peruersè, discite bene face-
 re: querite iudicium; subuenite oppresso, iudi-
 cate pupillo; defendite viduam. Et venite, &
 arguite me, dicit Dominus: si fuerint peccata
 vestra ut coccinū, quasi nix dealbabuntur &c.
 Hac voce ego impurissimus mortalium ita per-
 cussus sum, ut magno cum animi mei dolore,
 ac pœnitentia, in conscientia mea, ad Deum
 clamauerim: Tu es Deus, qui in terram venisti
 ad liberandos peccatores; & qui hoc quoq;, quod
 nunc lectum est, per Prophetam tuum promissi-
 sti;

sti; imple igitur hoc opere in me gratia tua, indignissimo peccatore. Ex hoc enim temporis momento promitto voueoq; tibi, me mala illa non amplius patraturum, quibus ex animi mei sententia renuntio, tibi mundo corde & corpore seruiturus; Hoc igitur die atque hac hora, o mi Deus, suscipe petitionem precesq; meas. Tali animo propositoq; vita mea emendanda e templo exiui. Hæc ubi dixit, ab omni vndique populo ad Deum est, vnanimi magnaue voce, conclamatum: O Deus, quam magnificata Psal. 31.6; sunt opera tua! omnia in bonitate fecisti, misericordia tua plena est terra.

§. IX.

Quo modo ad templum eundum, & orandum, ut exaudiamur?

Vtinam & nos omnes, qui ad orandum, conuenimus, sic possemus exclamare! Non dubito enim, si Paulus simplex hîc esset, cum visurum alios quidem ardentis & lucentes, & lætum Angelum secum habentes; alios autem vndique contaminatos, quos plures dæmones catenis vinctos trahunt, & ducunt quocumque volunt: qui si Spiritum S. ipsum contristant, cur luctu Angelum suum non afficiant à se longè remotum? Quibus hos non lachrymis prosequi par est,

cum *S. Paulo Simplici*? cum & ipsi sint calamitosi, & illorum peccata in Ecclesiam excitent tot calamitates? Quas cum deberent tollere, solent multiplicare. Quid enim hi precibus suis impetrent? Bias Philosophus videns impium, in sua naui, inter maris procellas orantem, iussit eum cessare; ne si Iupiter audiret, illum inibi esse, sæuiorem immitteret tempestatem. Quid, ô impure, tua te oratione speras à Deo impetraturum? qui cum oras, illa lingua vteris, quâ paulò priùs abominanda es locutus; quâ Deum blasphemasti? quâ fratris tui animam occidisti? illud os aperis, quo heri osculatus es meretricem? Illas manus ad cælum tendis, quibus contra Deum, contra honestatem, contra naturam, contra te ipsum peccasti? Sanctus est Deus, sanctis manibus est colendus. Verùm hoc exemplo moueor, vt neque peccatores quidem hinc arceam, sed inuitem, vt nullum templi officium, nullam exhortationem prætermittant. Et, quamuis alio fine præsentiam suam contaminent, quamuis dicant: Veni frater, audiamus aliquid curiosi, tamen potest illis contingere, quod contigit huic peccatori, vt vno verbo, vna sententia perculsi audiant, quod tota
vita

vita non possint obliuisci. Multi cum Publicano templum adierunt peccatores, & recesserunt iustificati, digni pace & diuina benedictione. Ad hoc ego, cum Paulo Simplicio, Deum irritantes non cessabo deplorare, & ad ploratum adducere. Ad hoc ipse Deus immittit calamitates, vt cum filio prodigo inopia inediaque coacti ad Patrem reuertantur. Ita & pueruli longius euagati, qui blanditijs reuocantem matrem spernunt, territi aut offensi illico ad maternum gremium recurrunt. Nemo putet hoc animo à me fieri inimico, si crimina detegam, si vlcera tangam; si tacerem, inimicus essem, sicut, si vulnus lethale tibi inflictum sciens chirurgus non indicarem. Deus bone! barbarum censetur, si quis amico ægrotanti non succurrit, si seipsum & dissimulat medicinam. Quid erit, si alterum conspiciam, in omni flagitio volutari, catenis Acherunticis ligari, & iam, velut reum, ad supplicium æternum duci, eiusque peccatis toti patriæ exitium parari, & non succurram? non clamem, ne & ipse aliquando clamare debeam: *Va mihi, quia tacui?* Non tacuit Paulus simplex, lachrymis clamauit, clamauit verbis, & totum populum ad diuinas laudes excitauit.

tauit. Quin & hodie per hoc exemplum clamat: *Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum uestrarum, &c.* Pessimum autem malum cogitationum est, iudicium temerarium, de quo alterum exemplum accipitote.

CAPVT XVI.

Quantopere iudicia hominum, in aliorum factis censendis, errare possint?

§. I.

Quis ordo Celestinarum Annunciarum? & qua illius Fundatrix?

AD pietatem, in Ecclesia, excitandam, excitauit benignus Dominus nouam quamdam feminarum religionem. Nomen est feminarum Deo dicatarum, *Celestina Annuntiata*; illud ab habitu, incedunt enim togâ candidâ & pallio cæruleo, seu cælestis coloris, tectæ: istud habent à sine Fundatricis, cuius mens fuit, honorem Matris Dei, ab Angelo annuntiatæ propagare. Ordinis huius Fundatrix fuit, *Genuensis illa matrona Maria Victoria*, quæ primùm An. Christi 1617. die 15. Decembris viuere desijt. Vitam eius, Italico idiomate, copiosè descripsit quidam Pater Societatis